Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift

51

querere ac delectari uideretur: Igitur octauo anno postquam ibidem aduenerat;
monasterium omne satis conuenienter in omni constructione consumma
tum atque ab episcopis prouincie ipsi dedicatum est. Regebat per idem tempus andega
uensem ecclesiam uir sanctissimus eutropius. Porro in ipso monasterio ecclesie .iiii.
edificate fuerant. Prima quarum maior: in qua fratres tam ad diurnum quam
ad nocturnum conueniebant officium. consecrata est in honore
beati petri apostolorum principis. Secunda ut dictum est iam superius in honore beati
martini. tercia uero que et minor erat ceteris in ueneratione beati
seuerini. quarta autem que in modum turris quadrifide in ingressu mo
nasterii altissimum edificata est. benedicta fuit in honore sancti archan
geli michahelis. His itaque expletis predictus uir florus non inmemor
promissionis quam deo uouerat. et pergens ad theodebertum regem licentiam
ab eo expetiit ut regularem liceret suscipere habitum. et peccata
sua plurima que in seculari exercerat conuersatione ieiuniis et oratio
nibus. ceterisque spiritualibus fructibus redimere. Quam cum ei rex negare nequi
uisset. tristis licet et merens pro eo quod ab eo separari nollet promisit illi
que deposcebat implere. eumque aliquantis secum diebus in palatio retinens
de uirtutibus quas per beatum maurum fieri audiebat interrogare ce
pit. ut qualiter ipse cum discipulis suis in sancta uiueret religione seu
quantus iam fratrum numerus ibi adunatus esset. Que cum illi omnia florus
narrasset. prout ea ipse certissime sciebat. rex dixit illi. Si placere
hoc ipsi seruo dei scirem. multum tam eum quam locum uidere cuperem.
eumque nostro regio honorare munere. Cui florus respondit. Queratur
primum si uestre celsitudini placet super hoc uiri dei uoluntas. et tunc demum
sicut ipse ordinauerit ea que uultis implere poteritis. Dimittens ergo eum
rex cum in eius osculis diutius inmoratus fuisset. dixit ad illum. Quem cum a
uiro dei de nostra ad locum illum inueneris perfectione. cicius nobis reman
dare satage. Multum enim uellem si possibile esset die quo capitis comam de
posueris ibi presens esse. Ueniens ergo ad monasterium cum multis optima